

gnoscentis dati, in bonæ quidem fidei actionibus (quibus exceptiones ipso jure insunt, *l. emptio* 3. *ff. de rescind. vend. l. hujusmodi* 84. §. *qui servum* 5. *ff. de leg. 1.* & ex superfluo litis contestationi insererentur, *arg. l. si quæsitum* 9. §. 1. *in fin. ff. de distract. pign.*) id possent: in stricti juris & arbitrariis judiciis, (quale est ex stipulatu, *l. un. §. sed et si* 2. *C. de rei uxor. act.* quo fidejussores conveniuntur, *fac. l. stipulationem* 5. §. *satis acceptio* 2. *ff. de V. O.*) non æquè ut ex *l. præscriptionem* 8. & *seq. C. de except.* & *l. emptor* 6. *C. de præscript. long. temp.* videre est. Et nominatim hanc divisionis exceptionem, secundum jus Justinianicum, ante litis contestationem, proponendam esse, patet: quia fidejussor per eam hoc agit, ne solus conveniatur *l. fidejussor* 10. §. 1. *C. de fidejussor.* sed ut pro parte in se detur actio: §. *si plures* 4. *in fin. Inst. eod.* Conventio autem litis contestationem præcedit. *l. constitutionibus* 33. *ff. de O. & A.* & postulationes, ut actio hoc vel illo modo detur ante iudicium in jure apud Prætorem fieri solent, *l. 1. §. postulare* 2. *ff. de postul.* Quod si tamen quis omisâ istâ exceptione, solus conventus, & in solidum condemnatus sit: potest postea actione iudicati conventus, per exceptionem consequi, non quidem ut pro parte in se detur actio: *dict. locis*, sed ut sibi solidum solvere parato, in reliquos fidejussores actiones cedantur *l. fidejussoribus* 17. & *l. si fideiussores* 41. §. 1. *ff. de fidejuss.*